nobis efficiant. Cum autem panis et calix adhibito diacono elevantur,
exaltatio corporis christi in cruce commemoratur. Quod vero hostia iam consecra-
ta vel super calicem signo crucis imprimitur a latere calicis orientali
usque ad occidentale et a septentrionali usque ad austrum. hic figurari in-
telligitur. quod ante passionem dominus discipulis suis predixit in commenda-
tionem sue passionis. Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. hostia
quoque que iuxta calicem consignatur et sic debet esse posita. in sua et calicis positione
dextrum christi latus representat. de quo manavit sanguis redemptionis et aqua baptis-
matis. quod utrumque in calice contineri prudentia vestra non ignorat. Deinde cooperan-
te diacono calix deponitur. et hostia in loco suo reponitur et corporali palla
cooperitur. Hic commemoratur quod ioseph et nichodemus accepta licentia a pi-
lato corpus christi de cruce deposuerunt. et venerabiliter sepulture mandaverunt.
Hec de his sentio. non respuens si quis de his altiora et tractatiora ex auctori-
tate vel divina inspiratione dicere valuerit. ALEXANDER papa.
Sufficit sacerdoti unam missam cantare in die una. quia christus semel
passus est. et totum mundum redemit. Non modica res est unam missam digne
celebrare. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt. et alteram de die si necesse
est. Nam qui pro pecuniis aut adulationibus secularium una die presumunt plures fa-
cere missas. non estimo evadere condempnationem. Melius est vitare omnia bona
et minora. quam magnum bonum cum magno malo. quia et in corporibus melius est
habere staturam parvam cum sanitate. quam grandem cum febre.
Indignorum ministrorum in oratione sua auditur. et non auditur. hic facit unitas
corporis christi. in ore vivorum fidelium sit et in mortuorum salus. et vivi et si indigni sint
ministri quorum oratio ipsis non audiatur quantum ad se. pro auditur devotio per quos
orat. et ita auditur et non auditur. AUG. Christus iudam toleravit
et ad predicandum misit. et ei eucharistiam dedit. ut ostenderet dona dei
pervenire ad eos qui fide accipiunt. etiam si talis sit per quem accipiunt qualis fuit
iudas. Tria sunt genera hominum deo servientium. Alii enim deo serviunt
propter timorem. et hi dicuntur servi. Alii propter mercedem. et hi dicuntur mercennarii.
Alii propter amorem. et hi dicuntur filii. Qui autem mercennarii. querunt alis commodum

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.4, 1v – Haimo Halberstadensis, Expositio in Pauli epistolas; Ivo Carnotensis, Epistola ad Pontium Cluniacensem; Excerpts from a collection of sententiae from the school of Anselm of Laon; Carmina (https://fragmentarium.ms/view/page/F-bd8p/5185/49540)